

1292, maig, 30

Les monges de Sant Daniel, atesa la mort de l'abadessa Cecília i la reserva feta per la seu apostòlica de les eleccions a les esglésies catedrals i conventuals del regne d'Aragó, sol·liciten del papa la col·locació de l'abadia a favor d'Agnès de Soler, priora del monestir.

ASD núm. 299, perg. mig., 290 x 260 mm.

Sanctissimo in Christo patri ac domino domino .. diuina prouidencia sacrosante Romane ecclesie summo pontifici, conuentus monasterii Sancti Danielis, ordinis Sancti Benedicti Gerundensis dioecesis, scilicet nos Sibilia de Sancto Cipriano, Guilielma de Belestar, Berengaria de Trilia, operaria et cabiscola, Guilielma de Serriano, cameraria, Sancia de Ceruiano, Geralda de Podiopardinis, piataria, Elicsendis de Basilia, Bartholomea de Ciyario, Guilielma de Aquilario, Ermeniardis de Uilanoua, infirmaria, Garsendis de Matha, Alamanda de Castanyeto, Berengaria de Castro Episcopali, Beatrix de Capraria et Ermessendis de Aquilario, moniales dicti monasterii, <post> pedum oscula beatorum. Uenerabili domina Cecilia abbatisa nostri monasterii in crastino diei Ascensionis Domini uiam uniuerse carnis ingressa et ipso monasterio abbatisse solacio destituto, cum ad electionem nullatenus procedere abbatisse ex relatione et consilio prudentum didiscimus quod omnes electiones cathedralium et conuentualium ecclesiarum regni Aragonum et comitatus Barchinone sue ordinacioni sedes apostolica reseruauerit. Unde cum ex hoc impeditate eligere uidentes, monasterium Nostrum paupertate depressum et regimine quantum ad temporalia et spiritualia destitutum, sanctitati uestre deuote ac humiliter supplicamus ut fragilitati sexus nostra sceleriter(sic) miserendo, de uenerabili domina Agnete de Solerio priorissa nostri monasterii, religiosa quippe domina ac prouecte etatis et circa temporalia et spiritualia circumspecta, bone uite ac laudabilis testimonii, quam quantum ad obseruacionem regularis discipline in Domino comendamus, in quam omnes unanimiter oculos nostre supplicacionis dirigimus, in abbatisam nobis dignemini prouidere, uel saltim dare uestris litteris in mandatis reuerendo patri domino episcopo Gerundensi ut de eadem domina nobis debeat prouidere. Et utpresentibus fides plenior habeatur, iussimus eas in publicam formam poni.

Quod ego Petrus Burgesii, scriptor infrascriptus qui predictis interfui, feci ad instanciam dictarum dominarum ad habendam memoriam · de premissis, pridie kalendas iunii anno Domini millesimo .ccxc. secundo.

Sig+num Sibilie de Sancto Cipriano, sig+num Guilielme de Belestar, sig+num Berengarie de Trilia, sig+num Guilielme de Serriano, sig+num Sancie de Ceruiano, sig+num Geralde de Podiopardinis, sig+num Elicsendis de Basilia, sig+num Bartholomee de Ciyario, sig+num Guilielme de Aquilario, sig+num Ermeniardis de Uilanoua, sig+num Garsendis de Matha, sig+num Alamande de Castanyeto, sig+num Berengarie de Castro Episcopali, sig+num Beatricis de Capraria, sig+num Ermessendis de Aquilario, monialium predictarum, que hoc firmamus et laudamus. Testes huius rei sunt Arnaldus de Solerio, canonicus ecclesie Gerundensis, et Berengarius Mireti, clericus Sancti Danielis.

Sig(s. man.) num Petri Burgesii, qui hoc scripsit mandato Raimundi de Toylano, publici Gerunde notaria. Ego Raimundus de Toylano, publicus Gerunde notarius (s. man.), subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 589-591